

Ritus et cærementia confirmationis explicantur.

XX. Restat nunc ut aliqua etiam de ritibus et cærementiis quibus in hoc sacramento administramo catholica Ecclesia utitur, breviter perstringantur; quæ explicatio quanto usui futura sit pastores intelligent, si que antea dicta sunt, cum hic locus tractaretur, repetere volunt.

Chrisma et unctione.

Qui igitur confirmantur, sacro chrismate in fronte unguntur: nam hoc sacramento Spiritus sanctus in animos fideliūm sese infundit, in eisque robur et fortitudinem auget, ut in spirituali certamine viriliter pugnare et nequissimis hostibus resistere queant.

Cur in fronte.

Quocirca declaratur eos nullo metu, aut verecundia, quarum affectionem signa maxime in fronte solent apparere, a libera christiani nominis confessione absterrendos esse. *Rhaban. lib. 1 de Institut. cleric. c. 50, et habetur de Consecr. dist. 5, c. Noviss. Aug. in Ps. 141. D. Thom. 5 p. q. 71. art. 9.*

Signum crucis.

Præterea nota illa, qua christianus a cæteris veluti miles insignibus quibusdam ab aliis distinguitur, in illustriori corporis parte impressa erat.

Cur in Pentecoste.

Sed illud quoque solemní religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in Pentecoste præcipue hoc sacramentum administraretur, quod hoc maxime

die Apostoli (a) Spiritus sancti virtute roborati et confirmati sint: cujus divini facti recordatione fideles admonenterunt, quæ quantaque mysteria in sacra unctione cogitanda essent.

Alapa.

Deinde vero qui unctus et confirmatus est, ut meminerit se tanquam fortē athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab episcopo ceditur.

Pax.

Postremo autem pax ei datur, ut intelligat se gratia coelestis plenitudinem et pacem (b) quæ exsuperat omnem sensum consecutum esse. Atque haec summa eorum sit, que de chrismati sacramento a pastoribus non tam quidem nudis verbis et oratione, quam inflammatu quodam pietatis studio explicanda sunt, ut ea inanimis intimisque fidelium cogitationibus inserere videantur.

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Ne Eucharistia tractetur indignius, ejus dignitas sapienter explicanda.

I. Quemadmodum ex omnibus sacris mysteriis, quæ nobis tanquam divina gratia certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, (c) nullum est quod cum sanctissimo Eucharistiæ sacramento comparari queat: ita etiam nulla gravior aliecujs sceleris animadversio a Deo metuenda est, quam si res omnis sanctitatis

(a) Act. 2, 2. — (b) Phil. 4, 7. — (c) Dionys. de Eccl. hier. c. 6, et de Consecr. dist. 2, c. 2 Nihil in.

plena, vel potius quæ ipsum sanctitatis auctorem et fontem continet, neque sancte neque religiose a fidelibus tractetur. Id vero Apostolus et sapienter vidit et de eo nos aperte admonuit: nam cum declarasset, quanto illi scelere obstricti essent, qui corpus Domini non dijudicarent, statim subiecit: (a) Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Ut igitur fidelis populus, cum caelesti huic sacramento divinos honores tribuendos esse intellexerit, et gratiae uberes fructus capiat, et justissimam Dei iram effugiat, illa omnia a pastoribus diligentissime exponenda erunt, quæ ejus maiestatem magis illustrare posse videantur.

Eucharistie institutio in primis est explicanda.

II. Quia in re opus erit, ut Pauli Apostoli rationem secuti, qui se quod a Domino accepérat Corinthiis tradidisse professus est, in primis hujus sacramenti institutionem fidelibus explicent: ita vero gestam rem esse ex Evangelista perspicue colligitur.

Cur, quando et quomodo Christus Eucharistiam instituit.

III. Cum enim Dominus (b) dilexisset suos, in finem dilexit eos, cuius quidem amoris ut divinum aliquod atque admirabile pignus daret, sciens horam jam advenisse, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, neullo unquam tempore a suis abesset inexplicabili consilio, quod omnem nature ordinem et conditionem superat, perfecit. Etenim celebrata cum discipulis agni paschalis cena, ut figura veritati, umbra corpori cederet,

(a) 1 Cor. 11, 50. — (b) Joan. 15, 1.

(a) panem accepit. Deoque gratias agens, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et dixit: Accipite, et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem accepit, postquam conavit, dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. *De Eucharist. institutione vide Trident. sess. 13, c. 2, de Euchar. Leo. serm. 7. de Pass. c. 5. Euseb. Emess. hom. 5. et habetur de Consecrat. dist. 2, cap. Quia corpus.*

Cur hoc sacramentum Eucharistia nuncupetur.

IV. Hujus ergo admirabilis sacramenti dignitatemque excellentiam, cum sacri scriptores fieri nullo modo posse intelligerent, ut uno vocabulo demonstrarent, pluribus eam nominibus exprimere conati sunt. Interdum enim Eucharistiam appellant, quod verbum, vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem latine reddere possumus. Ac recte quidem, bona gratia, dicendum est, tum quia vitam æternam, de qua scriptum est, (b) Gratia Dei vita æterna, præsignificat: tum quia Christum Dominum, qui vera gratia atque omnium charismatum fons est, in se continet. Nec vero minus apte gratiarum actionem interpretamur: siquidem cum hanc purissimam hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus: atque in primis pro ejus gratiae tam excellenti bono, quam nobis hoc sacramento tribuit. Sed id ipsum etiam nomen, cum his, quæ a Christo Domino gesta

(a) Matth. 26, 25. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 21. — (b) Rom. 6, 15.

esse in hoc mysterio instituendo legimus optime convenit. Etenim (a) panem accipiens fregit, ac gratias egit. David quoque, cum hujus mysterii magnitudinem contemplaretur, antequam Carmen illud pronuntiaret: (b) Memoriam fecit mirabilium suorum misericordis et miserator Dominus, escam dedit timentibus se: gratiarum actionem praeponendam existimavit, cum inquit: (c) Confessio et magnificientia opus ejus. *Chrysost. hom. 24, in ep. ad Cor. ad hac verba, Calix benedictionis. Cyprian. lib. de Lapsis. Amb. lib. 5 de Sacr. c. 3. D. Thom. p. 3, q. 73, art. 4.*

*Alia plura Eucharistiae nomina referuntur.
Sacrificium.*

V. Frequenter etiam nomine sacrificii declaratur: de quo mysterio paulo post latius dicendum erit.

Communio.

Vocatur præterea communio, quod verbum ex illo Apostoli loco sumptum esse liquet, ubi ait: (d) Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quemfrangimus, nonne participatio corporis Domini est? Nam, ut Damascenus explanavit (e) hoc sacramentum Christo nos copulat, atque ejus carnis et deitatis participes efficit, nosque inter nos in eodem Christo conciliat, ac conjungit, et veluti unum corpus coagamentum. *Vide Iren. lib. 3, c. 7. Chrys. hom. 44 et 45 in Joan. Cyril. in lib. 7 in Joan. c. 15. Cyril. Hier. Catech. 4. August. tractat. 26 in Joan. Trid. sess. 15 de Euch.*

(a) Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 24. — (b) Ps. 110, 4, 5. — (c) Ps. 110, 5. — (d) 1 Cor. 10, 16. — (e) Damasc. lib. 4, de Fid. orthod. c. 4.

in *Præf. Concil. Nicæn. 12, part. 4, c. 77 et 78, et alibi passim.*

Sacramentum pacis et charitatis.

Ex quo factum est ut sacramentum etiam pacis et charitatis diceretur: ut intelligeremus quam indigni sint christiano nomine, qui inimicities exercent: odio, dissidia et discordias, ut terrimas fidelium pestes, omnino exterminandas esse: cum præsertim quotidiana religionis nostræ sacrificio, nihil nos studiosius servare quam pacem et charitatem profliteamur.

Viaticum.

Sed viaticum etiam frequenter a sacris scriptoribus appellatur: tum quia spiritualis cibus est quo in hujus vita peregrinatione sustentamur; tum quia vitam nobis ad æternam gloriam et felicitatem munit. Quare ex veteri Ecclesiæ catholice instituto servari videmus, ut nemo fidelium sine hoc sacramento e vita excedat.

Cœna.

Ac vetustissimi quidem Patres, (a) Apostoli auctoritatem secuti, (b) cœna etiam nomine sacram Eucharistiam interdum vocarunt, quod in illo novissimæ cœnæ salutari mysterio a Christo Domino sit instituta.

A jejunis confacienda et sumenda est Eucharistia.

VI. Neque vero propterea a cibo aut potionie Eucharistiam conficiere aut sumere licet quod ab Apostoli salutariter introducta consuetudo, quemadmodum veteres scriptores memorie prodide-

(a) Cypr. de Cœna Domini. — (b) 1 Cor. 12, 26.

runt, perpetuo retenta ac servata est, ut jejunis tantum perciperetur. *August. Epist. 138. c. 6.*

Eucharistia vere est sacramentum.

VII. Sed, explicata nominis ratione, docendum erit hoc verum esse sacramentum, atque unum ex septem illis, quæ sancta Ecclesia semper religiose coluit ac venerata est; nam cum calicis consecratio fit, mysterium fidei appellatur. Præterea ut infinita pæne sacrorum scriptorum testimonia omittamus, qui hoc inter vera sacramenta numerandum esse perpetuo censerunt, ex ipsa ratione et natura sacramenti idem convincitur. Etenim in eo signa sunt externa et sensibus subjecta; habet deinde gratiæ significationem et efficientiam; præterea de Christi institutione, neque Evangelista neque Apostolus dubitandi locum relinquunt. Quæ omnia cum in unum convenient ad sacramenti veritatem confirmandam, nullis aliis argumentis opus esse perspicitur. *Aug. lib. 5, de Trinat. c. 4, et lib. 20 contra Faust. c. 15. Ambr. lib. 1. de Sacram. c. 2. Trident. sess. 15, de Euch. c. 5. D. Thom. 3. p. q. 73, art. 1.*

Ac sunt in Eucharistia quibus sacramenti nomen tribuitur.

VIII. Sed illud diligenter pastoribus observandum est, multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando sacramenti nomen sacri scriptores tribuerunt. Interdum enim et consecratio et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini et corpus, et sanguinis, qui in Eucharistia continetur sacramentum vocari consuevit: inquit enim divus Augustinus (*a*) Sacramentum hoc duobus constare, visibili

(a) De Catech. erud. lib. 3, c. 16.

scilicet elementorum specie, et invisibili carne et sanguine ipsius Domini nostri Iesu Christi. *August. hic ad sensum potius quam ad verba citatus; sed lege hac de materia librum Lanfranci contra Berengarium: constat. 23, tantum capitibus: vide de Consecrat. distinct. 2, sere tota.*

Nota. Atque ad eundem modum hoc (*a*) sacramentum adorandum esse, nimirum corpus et sanguinem Domini intelligentes, affirmamus. Verum hæc omnia minus proprie sacramenta dici perspicuum est. Ipse autem panis et vini species veray et absolutam hujus nominis rationem habent.

Dissert a reliquis sacramentis Eucharistia.

IX. Sed quantum hoc sacramentum a reliquis omnibus differat, facile colligitur.

Primo. — Nam cætera sacramenti materie usu perfiuntur, dum scilicet aliqui administrari ea contingit, baptismus enim Sacramenti naturam tunc adipiscitur, cum reipsa homo aqua abluitur: at vero ad Eucharistia perfectionem satis est ipsius materiæ consecratio; utrumque enim sacramentum esse non desinit, quamvis in pyxide asseretur.

Secondo. — Deinde in conficiendis aliis sacramentis nulla fit materiæ atque elementi in aliam naturam mutatio. Etenim baptismi aqua, aut chrismatis oleum, cum illa sacramenta administrantur, priorem aquæ et olei naturam non amittunt. In Eucharistia vero quod panis et vinum ante consecrationem erat, confecta consecratione, vere est corporis et sanguinis Domini substantia.

(a) Trid. sess. 15, de Euch. c. 5 et can. 6.

Unicum est sacramentum Eucharistiz, licet duplex materia.

X. Licet autem duo sint elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiae sacramentum conficitur: non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse, Ecclesie auctoritate docti, confitetur: aliter enim septenarius sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque a conciliis (a) Lateranensi (b), Florentino et (c) Tridentino decreatum est, constare non poterit: nam cum hujus sacramenti gratia unum corpus mysticum efficiatur ut sacramentum ipsum rei quam efficit, conveniat, unum esse oportet: atque unum quidem, non quia individuum sit, sed quia unius rei significationem habet. Nam quemadmodum cibus et potio, quæ due diversæ res sunt, ad unam tantum rem adhibentur, ut scilicet vires corporis reliquantur: ita etiam duas illis diversas sacramenti species respondere consentaneum fuit, quæ cibum spirituale significant, quo mentes sustinentur et recreantur. Quare a Domino Salvatore dictum est: (d) Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

Tria significat Eucharistiz sacramentum.

Sed diligenter explicandum est quid Eucharistiae sacramentum significet, ut fideles sacra mysteria oculis intuentes, simul etiam divinarum rerum contemplatione animum pascant. Tria vero sunt, quæ nobis hoc sacramento indicantur.

(a) Ex conciliis citatis Lateranense generale sub Innocent. II, non numerat quidem distincte septem sacramenta, sed de variis canon. satis clare colligentur. — (b) Florent. in doct. de Sac. — (c) Trid. sess. 7, can. 1. — (d) Joan. 6, 56.

Passionem Christi.

Primum est Christi Domini passio, qua jam præteriti: ipse enim docuit: (a) Hoc facite in meam commemorationem: et Apostolus testatus est: (b) Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem hibetis, mortem Domini annuntiabis, donec veniat.

Cœlestem gratiam.

Alterum est divina et cœlestis gratia, (c) quæ praesens ad animam alendam et conservandam hoc sacramento tributur. Quemadmodum enim baptismo in novam vitam gignimur, confirmatione roboramur, ut Satanae repugnare et palam Christi nomen profiteri possimus, ita Eucharistiae sacramento alium ac sustentamur.

Gloriam æternam.

Tertium est, quod futurum prænuntiat æternæ jucunditatis et gloriæ fructus quos in cœlesti patria ex dei promissione capiemus. Hæc igitur tria, quæ instantis, præteriti et consequentis temporis varietate distinguuntur perspicuum est sacris mysteriis ita significantur, ut tamen sacramentum, quamvis ex diversis speciebus constet, ad singula horum declaranda tanquam ad unius rei significationem, referatur.

Duplex Eucharistiz materia panis & vinum.

XI. Sed in primis cognoscenda est a pastoribus hujus sacramenti materia: tum ut ipsi rite illud possint conficeri; tum etiam ut fideles admoneantur cuius rei symbolum sit, atque ejus rei quam significat, studio et desiderio exardescant. Duplex

(a) Luc. 22, 19 — (b) 1 Cor. 11, 26. — (c) Tertul. de Resur. carnis, c. 8.

itaque est hujus sacramenti materia, altera panis ex tritico confectus, de qua primo agetur: de altera postea dicendum erit. Nam ut docent Evangelistæ (a) Matthæus, (b) Marcus, (c) et Lucas, Christus Dominus panem in manus accepit, benedixit et frexit, dicens: *Hoc est corpus meum.* Apud Joannem quoque idem Salvator noster se ipsum panem appellavit, cum inquit: (d) *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendit.* Vide de Cons. dist. 2, c. 1 et 2 et 53, ubi habes de hac materia *decreta Alexandri Papæ in 1 Epistol. ad omnes orthodoxos, et Cyprian. lib. 2. Epistol. 3, et Ambros. lib. 4 de Sacramentis, c. 4.* Vide etiam Iren. lib. 4, c. 54, et lib. 5, c. 2.

Panis triticeus vera Eucharistiz materia.

XII. Cum autem varia sint panis genera, vel quia materia differunt, ut cum aliis ex tritico, aliis ex hordeo aut ex leguminibus, ceterisque terræ frugibus confectis est; vel quia diversis qualitatibus prædicti sunt; (uni enim fermentum additur, alter vero fermento omnino expers esse potest). (e) Quod ad primum attinet, Salvatoris verba ostendunt panem ex tritico confici portere: communi enim loquendi consuetudine cum panis absolute dicuntur, panem ex tritico intelligi satis constat. Id etiam Veteris Testamenti figura declaratur: præceptum enim a Domino fuerat ut (f) panes propositionis, qui hoc sacramentum significabant, ex simila conicerentur.

Azymus panis Eucharistiz materia.

XIII. Sed quemadmodum nullus panis, nisi triticeus, apta ad sacramentum materia putandus

(a) Matth. 26, 26. — (b) Marc. 14, 22. — (c) Luc. 22, 19.
— (d) Joan. 6, 41. — (e) D. Thom. 5 p. q. 74. — (f) Lev. 24, 5.

est (hoc enim apostolica traditio nos docuit, et Ecclesiæ catholice auctoritas firmavit) ita etiam ex iis quæ Christus Dominus gessit azymum esse debere, facile intelligitur: ipse enim (a) primo azymorum die, quo nihil fermentati domi habere Judæis licet, hoc sacramentum confecit atque institut. Vide lib. de decretal. tit. de Celebrat. Missarum, c. ull. ubi habes auctoritatem Honori Papæ II.

Objectio solvitur.

XIV. Quod si quis Joannis Evangelistæ auctoritatem opponat, qui haec omnia ante festum diem Paschæ acta esse commemorat, ea ratio facile dissolvit potest. Etenim quem primum azymorum diem ceteri Evangelistæ appellarunt, quod feria quinta vesperi dies festi azymorum inciperent, quo tempore Salvator noster Pascha celebravit, eum ipsum diem Joannes (b) pridie Paschæ fuisse describit: ut qui diei naturalis spatium, quod ab oriente sole inchoatur, in primis notandum existimavit. Quapropter divus etiam (c) Chrysostomus primum azymorum diem interpretatur eum diem, quo ad vesperam azyma comedenda essent. Sed azymi panis consecratio quantum conveniat integrati et mentis munditiæ, quam fideles ad hoc sacramentum afferre debent ab Apostolo docemur, cum inquit: (d) *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi:* etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur non in fermento veteri neque in fermento malitia et nequitiae, sed in azymis sinceritatis et veritatis.

(a) Matth. 26, 17. Marc. 14, 12. Luc. 22, 7. — (b) Joan. 15, 1. — (c) In Matth. hom. 83, c. 1. — (d) 1 Cor. 5, 7.

Potest Eucharistia et in fermentato pane confici.

XV. (a) Neque tamen ea qualitas adeo necessaria existimanda est, ut, si illa pani desit, sacramentum confici non possit : utrumque enim panis genus veram et propriam panis rationem et nomen habet. Quanquam nemini licet privata auctoritate, vel potius temeritate, laudabile Ecclesie suarum immutare, atque eo minus id facere Latinis sacerdotibus permisum est, quibus præterea Pontifices (b) maximi præcepérunt ut ex azymo tantum sacra mysteria conficerent. Atque hæc de altera hujus sacramenti materia exposuisse satis sit; in quo tamen illud animadvertisendum est, quam multa materia ad sacramentum conficiendum uti oportet, definitum non esse: cum illorum etiam certus numerus definiri nequeat, qui aut possint aut debeant sacra mysteria percipere.

Vinum vitis altera Eucharistia materia.

XVI. Superest ut de altera hujus sacramenti materia et elemento dicatur. Est autem vinum ex viti fructu expressum, cui modicum aquæ permixtum sit : nam dominum Salvatorem vino in hujus sacramenti institutione usum esse, catholica Ecclesia semper docuit, cum ipse dixerit : (c) Non bibam amodo de hoc genimine viti usque in diem illum. Quo in loco (d) Chrysostomus : De genimine, inquit, vitis quae certe vinum, non aquam prodixit, ut tanto ante illorum heresim, qui aquam solam in hisce mysteriis adhibendam senserunt, convellere videretur.

(a) Conc. Florent. sess. ult. — (b) Lib. 40, decret. de Celeb. miss. c. final. — (c) Matth. 26, 29. Marc. 14, 25. — (d) Hom. 85 in Matth.

Aqua vino est admiscenda.

XVII. Aquam vero Dei Ecclesia vino semper admisicut : primum, quod id a Christo Domino factum esse, et conciliorum auctoritate, et sancti Cyprianis testimonio (a) comprobatur : deinde quod sanguinis et aquæ qua ex ejus latere exierunt, hac permixtione memoria renovatur. Tum vero aquæ, ut in Apocalyspi (b) legimus, populum designant : quare aqua vino admista fideli populi cum Christo capite conjunctionem significat. Atque hoc ex apostolica traditione perpetuo sancta Ecclesia servavit.

Nota. Sed quamvis aquæ admiscendæ ita graves rationes sint, ut eam sine mortali peccato pretermittere non liceat : ea tamen si desit, sacramentum constare potest.

Modicum aquæ est admiscendum.

XVIII. Illud autem sacerdotibus animadvertisendum est, ut quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicum infundandam esse : nam ecclesiasticorum scriptorum sententia et iudicio, aqua illa in vinum convertitur. (c) Quare de eo Honorius Pontifex ita scribit: Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus vide licet quod major quantitas aquæ in sacrificio quam vini adhibetur : cum secundum consuetudinem rationabilem Ecclesia generalis, longe plus vini quam aquæ adhibendum sit. Iuujus igitur (d) sacramenti hæc duo tantum elementa sunt ; ac merito pluribus decretis sancitum est ne quid aliud præ-

(a) Cyp. lib. 2. Ep. 57. Trid. sess. 22, de Sacrif. miss. c. 7, et can. 9. — (b) Apoc. 17, 15. — (c) Habetur lib. 3. Decretal. de Celeb. miss. cap. 13. — (d) Vide de Cons. dist. 2, c. 1, 2 et seq.

ter panem et vinum, quod nonnulli facere non
verebantur, offerre liceat.

Quam sit conveniens materia Eucharistiz.

XIX. Sed jam videndum est haec duo panis et
vini symbola quam apta sint ad eas res declaran-
das, quarum sacramenta esse credimus et confi-
temur.

Primo. — Primum enim Christum nobis signi-
ficant, ut vera est hominum vita. Ipse enim Do-
minus ait: (a)Caro mea vere est cibus, et sanguis
meus vere est potus. Cum igitur corpus Christi
Domini vitæ æternæ alimento illis prebeat qui
ejus sacramentum pure et sancte suscipiunt, recte
iis potissimum rebus confitetur, quibus haec vita
continetur, ut fideles facile possint intelligere
pretiosi corporis et sanguinis Christi communio-
nione mentem animumque saturari.

Secundo. — Nonnihil etiam haec ipsa (b) ele-
menta ad id valent, ut eam cognitionem accipiant
homines, esse in sacramento corporis et sanguinis
Domini veritatem. Nam cum panem et vinum in
humanam carnem et sanguinem vi naturæ quoti-
die immutari animadvertis: facilius adduci
possimus hac similitudine, ut credamus panis et
vini substantiam in veram Christi carnem ve-
rumque ejus sanguinem celesti benedictione
converti.

Tertio. — Affert etiam aliquid adjumentum haec
admirabilis elementorum mutatio ad adumbrandum,
quod sit in anima. Ut enim, etsi nulla ex-
trinsecus panis et vini mutatio appareat, tamen
corum substantia in carnem et sanguinem Christi
vere transit: ita etiam tametsi in nobis nihil im-

(a) Joan. 6, 56. — (b) Damasc. lib. 4 de Fide orthod.
c. 14.

mutatum videtur, interius tamen ad vitam reno-
vamur, dum veram vitam in Eucharistia sacra-
mento accipimus.

Quarto. — Accedit ad haec quod, cum unum Ec-
clesiae corpus ex multis membris compositum sit,
nulla re magis eluet ea conjunctio, quam panis
vinique elementis. Panis enim ex multis granis
conficitur, et vinum ex multitudine racemorum
existit; atque ita nos, cum multi simus, hujus
divini mysterii vinculo arctissime colligari et tan-
quam unum corpus effici declarant.

*Forma Eucharistiz quoad panem definitur
et probatur.*

XX. Sequitur nunc ut de forma qua ad conse-
crandum panem ut oporteat, agatur; non quidem
ejus rei causa, ut haec mysteria fideli populo nisi
necessitas cogat, tradantur (eos enim qui sacris
initiati non sunt, de his erudiri necessarium non
est), sed ne formæ ignorantie, in sacramento
confidendo a sacerdotibus turpissime peccetur.

E scriptura.

Itaque a sanctis Evangelistis, Matthæo et Luca,
itemque ab Apostolo docemur illam esse formam:
Hoc est corpus meum; scriptum est enim: (a)Co-
enantibus illis, accepit Jesus panem, et benedixit
ac frégit, deditque discipulis suis, et dixit: Acci-
pite et manducate: Hoc est corpus meum. Quæ
quidem consecrationis forma, cum a Christo Do-
mino servata sit, ea perpetuo catholica Ecclesia
usa est.

A Patribus et Conciliis.

Prætermittenda sunt hoc loco sanctorum Pa-

(a) Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. 1 Cor. 11,
21.

trum testimonia, quæ infinitum esset enumerare, et concilii Florentini decretum; quod omnibus patet, atque in promptu est, cum præsertim ex illis Salvatoris verbis : (a) Hoc facite in meam commemorationem, idem licet cognoscere. *In decreto de Sacrament. item Trid. sess. 15, c. 1.*

Nota. Nam quod Dominus faciendum præcepit non solum ad id quod egerat, sed etiam ad ea quæ dixerat, referri debet, atque ad verba maxime pertinere intelligendum est, quæ non minus efficiunt, quam significandi causa, prolatabantur. *Quod ad Patres attinet, vide Ambr. lib. de Sacram. c. 4 et 5. Chrys. hom. de prodit. Judæ. August. lib. 5 de Trinit. c. 4. Iren. lib. 4. contra Hæret. c. 54. Orig. lib. 8 contrô Celsum. Hesych. lib. 6 in Levit. c. 22. Cyrill. Alex. Epist. ad Callosorium episcop. Tertul. lib. 4 contra Marc. Hier. Epist. 1.*

Ratione.

Sed ratione etiam id facile persuaderi potest: nam forma ea est, qua illud significatur quod in hoc sacramento efficitur: cum autem haec verba id quod sit significant ac declarant, hoc est, panis conversionem in verum Dominum nostri corpus, sequitur formam in illis ipsis verbis constitutandam esse; in quam sententiam quod ab Evangelista dictum est: (b) Benedixit, licet accipere. Perinde enim videtur intelligendum, ac si dixisset, accipiens panem benedixit, dicens: Hoc est corpus meum.

Nota. Quamvis enim Evangelista verba illa, Accipite et comedite, proposuerit, illis tamen non materiæ consecrationem, sed usum tantummodo significari, perspicuum est; quare a sacerdote

(a) Luc. 22, 29. — (b) Matth. 26, 26.

quidem omnino proferri debent, sed ad sacramentum conficiendam necessaria non sunt.

Nota. Quemadmodum etiam profertur coniunctio illa enim, in corporis et sanguinis consecratione: aliter enim fieri, ut si hoc sacramentum nemini administrandum sit, confici non oporteat, aut non possit quidem: cum tamen dubitare non licet quin sacerdos, prolati ex more atque instituto sanctæ Ecclesiæ verbis Domini, aptam panis materiam vero consecret, quamvis deinde contingat, ut nulli unquam sacra Eucharistia administretur.

Forma Eucharistiae quoad vinum definitur et probatur.

XI. Jam vero, quod ad vini, quæ est altera huic sacramenti materia, consecrationem attinet, ab eamdem causam, quam supra commemoravimus, opus est ut sacerdos formam cognitam et perspectam habeat. (a) Eam igitur his verbis comprehendit certo credendum est: *Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

E scriptura.

Ex quibus verbis plura quidem e saeculis Scripturis colliguntur: quedam vero in Ecclesia ex apostolica traditione conservata sunt. Nam quod dicitur: (b) *Hic est calix, a divo Luca, et ab Apostolo scriptum est: quod vero sequitur: Sanguinis mei, vel (c) sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum: partim a divo Luca, partim a divo Matthæo dictum est.*

(a) Decret. 1, 5, de Celeb. miss. c. 6. — (b) Luc. 22, 20. 1 Cor. 11, 25. — (c) Luc. 22, 20. Matth. 26, 28.

Traditione.

Verba autem illa *æterni* et *mysterium fidei*, sancta traditio catholice veritatis interpres et custos nos docuit.

Ratione.

Verum de hac forma nemo dubitare poterit, si quod antea dictum est de forma consecrationis, quæ ad panis elementum adhibetur, hoc etiam loco attendatur: constat enim iis verbis quæ vini substantiam in sanguinem Domini converti significant, hujus elementi formam contineri. Quare cum verba illa hoc aperte declarant, perspicuum est aliam formam constituendam non esse.

Sanguinis Christi tres effectus.

XXII. Exprimunt autem præterea quosdam effusi sanguinis in passione Domini admirabiles fructus qui ad hoc sacramentum maxime pertinent. (a) Unus est, aditus ad æternam hæreditatem, quæ novi atque (b) æterni testamenti jure ad nos venit; alter est, aditus ad justitiam per *mysterium fidei*: Jesum enim (c) per fidem in sanguinem ejus propitiatorem Deus propositus, ut ipse sit justus et justificans eum qui ex fide est Iesu Christi; tertius est, (d) remissio peccatorum.

Verba consecrationis vini explicantur.

XXIII. Quoniam vero hæc ipsa consecrationis verba plena mysteriorum sunt, aptissimeque ad rem convenient, diligenter perpendere ea oportet. Quod vero dicitur: (e) *Hic est calix sanguinis mei*, sic intelligendum est: *Hic est sanguis meus*

(a) Heb. 10, 20. — (b) Heb. 13, 20. — (c) Rom. 5, 25.
25. — (d) Heb. 9, 12 et d. — (e) Decret. I. 5, de Celeb.
miss. c. 8.

qui hoc calice continetur. Rekte autem et apposite, dum sanguis hic, ut est fidelium potus, consecratur, calicis mentio facienda est: neque enim sanguis hujusmodi potionem satis significare videtur, nisi vase aliquo exceptus esset. Sequitur deinde, *novi testamenti*, quod quidem oheam rem additum est, ut intelligeremus Christi Domini sanguinem non figura, quemadmodum in veteri testamento fiebat (de eo enim apud Apostolum ad Hebreos legimus: Sine (a) sanguine testamentum dedicatum non esse), sed vere et re ipsa hominibus tradi: quod ad novum testamentum pertinet. Quare Apostolus inquit: (b) Ideo novi testamenti mediator est Christus, ut morte intercedente, reppromissionem accipiant, qui invocati sunt, æterna hæreditatis. Verbum vero, *æterni*, ad hæreditatem æternam, quæ Christi Domini æterni testatoris morte ad nos jure pervenit, referendum est. Quod subjicitur, *mysterium fidei*, non rei veritatem excludit; sed quod occulte latet, atque ab oculorum sensu remotissimum est, certa lide credendum esse significat. Diversa vero hisce verbis sententia hoc loco subjecta est ab ea quam habent, cum baptismis etiam tribuntur: nam quod sanguinem Christi, sub vini specie latentes, fide cernimus, *mysterium fidei* dicitur. At baptismus, quoniam universam christiane fidei professionem complectitur, a nobis fidei sacramentum a Graecis *mysterium jure* appellatur. Quanquam alia etiam ratione sanguinem Domini, fidei *mysterium* dicimus, quod scilicet in eo maxime plurimum difficultatis, et negotii humana ratio experiar, cum nobis fides credendum proponit Christum Dominum, verum Dei Filium; simulque Deum et hominem mortem pro nobis

(a) Heb. 9, 18. — (b) Heb. 9, 13.

pertulisse : quæ quidem mors sanguinis sacra-
mento designatur. Quapropter apposite hoc loco,
potius quam in consecratione corporis, passio
Dominica commemoratur, his verbis : *Qui effun-
detur in remissionem peccatorum.* Sanguis enim
separatim consecratus ad passionem Domini, et
mortem et passionis genus ante omnium oculos
ponendum majorem vim et momentum habet. Sed
verba illa quæ addentur : *Pro vobis, et pro mul-
tis,* a (a) Matthæo, et (b) Luca, singula a singulis
sumpta sunt, quæ tamen sancta Ecclesia, spiritu
Dei instructa, simul conjunxit : pertinent autem
ad passionis fructum, atque utilitatem declaran-
dā : nam si eis virtutem inspiciamus, pro
omnium salute sanguinem a Salvatore effusum
esse fatendum erit ; si vero fructum quem ex eo
homines percepirent, cogitemus, non ad omnes,
sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire
facili intelligemus. Cum igitur, *pro vobis,* dixit,
vel eos qui aderant, vel electos ex Iudeorum
populo, quales erant discipuli, excepto Juda, qui
buscum loquebatur, significavit. Cum autem addi-
dit, *pro multis,* relictos electos ex Judeis aut
gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum est
ut, pro universis, non diceretur, cum hoc loco
tantummodo de fructibus passionis sermo esset,
quæ salutis fructum delectis solum attulit. Atque
huc spectant verba illa Apostoli : (c) Christus se-
mel oblatus est ad multorum exhaurienda pec-
cata ; et quod Dominus apud Joannem inquit :
(d) Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed
pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Plu-
rima alia in hujus consecrationis verbis latent
mysteria, quæ pastores assidua rerum divinarum

(a) Matth. 26, 28. — (b) Luc. 22, 20. — (c) Heb. 9, 28.
— (d) Joan. 17, 9.

meditatione et studio ipsi per se, juvante Do-
mino, facile assequentur.

Fide, non sensu de Eucharistia judicandum.

XXIV. Sed jam ad earum rerum expicationem
ratio revertatur, quæ ut a fidelibus ignorentur,
nullo modo committendum est. Ac quoniam Apo-
stolus admonet, pravissimum, scelus admitti ab
iis qui (a) non dijudicant corpus Domini : hoc in
primis doceant pastores, animum atque rationem
a sensibus omni studio avocandum esse. Si enim
fideles ea tantum in hoc sacramento contineri
sibi persuaserint, quæ sensibus percipiunt, in
summam impietatem adducantur necesse est,
cum nihil aliud, praeter panis ac vini speciem,
oculis, tactu, odoratu, gustu sentientes, panem
tantummodo ac vinum in sacramento esse judi-
caverint. Curandum igitur est, ut fidelium men-
tes, quam maxime fieri potest, a sensuum iudicio
abstrahantur, atque ad immensam Dei virtutem
et potentiam contemplandam excitentur.

*Tria per consecrationem in Eucharistia effi-
cuntur.*

XXV. Tria enim sunt maxime admiranda atque
suspicienda, quæ in hoc sacramento verbis con-
secrationis effici, fides catholica sine ulla dubita-
tione credit ac confitetur.

Primum. — Primum est, verum Christi Domini
corpus, illud idem quod natum ex Virgine, in coe-
lis sedet ad dexteram Patris, hoc sacramento
contineri. *Vide Dionys. de Eccles. hierarch. c. 5.*
Ignat. Epist. ad Smyrn. Just. Apost. 2 Iren. lib. 4.
c. 34. el. 1. 5, c. 2. Trid. sess. 13, c. 1 de Euch.
Secundum. — Alterum est nullam in eo elemen-

(a) 1 Cor. 11, 29.

torum substantiam remanere : quamvis nihil magis a sensibus alienum et remotum videri possit. *Cypr. de Cena Domini. Euseb. Emiss. hom. 5 de Pasc. Cyril. Hierosol. Catech. 1, 3 et 4. Ambros. lib. 4 de Sacram. c. A. Chrysost. hom. 83 in Matth. et 60 ad pop. Antioch.*

Tertium. — Tertium est, quod ex utroque facile colligitur, etsi verba consecrationis id maxime exprimunt, accidentia quae aut oculis cernuntur, aut aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subjecta esse mira quadam atque inexplicabili ratione. Ac panis quidem et vini accidentia omnia licet videre, quae tamen nulli substantiae inherent, sed per se ipsa constant: cum panis et vini substantia in ipsum Domini corpus et sanguinem ita mutetur, ut panis et vini substantia omnino esse desinat.

Corpus Christi verum existere in Eucharistia confirmatur Scripturis.

XXVI. Verum, ut prius de primo agatur, conunter pastores explicare quam perspicua et clara sint Salvatoris nostri verba, quae corporis ejus veritatem in sacramento demonstrant: nam cum inquit: (a) *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, nemo, qui modo sanas mentis sit, ignorare potest quid nobis intelligendum sit: præsertim cum de humana natura sermo habeatur, quam in Christo vere fuisse, catholica fides dubitare neminem patitur: ut vir sanctissimus atque doctissimus Hilarius (b) præclare scriperit de veritate carnis et sanguinis Christi, cum ex ipsis Domini professione et fide nostra, caro ejus vere*

(a) *Matth. 26, 26, 28. Marc. 14, 22, 24. Luc. 22, 19.* — (b) *S. Hilar. lib. 8, de Trinit. super illa verba. Ut sint unum.*

sit cibus, relictum non esse ambigendi locum. Verum alter praeterea locus a pastoribus enucleandus est, ex quo aperte licet cognoscere, verum Domini corpus et sanguinem in Eucharistia contineri. Nam Apostolus posteaquam commemoravit panem et vinum a Domino consecratum, et sacra mysteria Apostolis suis administrata esse, subjungit: (a) *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducabit et bibbit, non dijudicans corpus Domini: Quod si, ut haeretici dictitant, nihil aliud in sacramento venerandum esset, præter memoriam et signum passionis Christi, quid opus erat tam gravibus verbis fideles hortari, ut se ipsis probarent? Gravi enim illa judicij voce declaravit Apostolus nefarium aliquod scelus ab eo admitti, qui impure sumens corpus Domini, quod in Eucharistia occulte latet, ab alio ciborum genere non distinguit. Quod etiam supra in eadem Epistola uberioris explicavit Apostolus his verbis: (b) *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Que quidem verba veram corporis et sanguinis Christi Domini substantiam demonstrant.*

Confirmatur amplius illud idem Patrum consensu.

XXVII. Haec igitur Scripturæ loca pastoribus explicanda erunt, atque in primis docendum nihil in eis dubii aut incerti relictum esse: præsertim cum haec Ecclesiæ Dei sacrosancta autoritas interpretata sit: ad cuius sententiae cognitionem dupli via et ratione possumus pervenire,

(a) *1 Cor. 11, 28. — (b) 1 Cor. 10, 16.*

Prima est, cum Patres, qui ab initio Ecclesiæ atque omni deinceps aetate floruerunt, et ecclesiasticæ doctrine optimi testes sunt, consulimus : hi vero summo consensu omnes hujus dogmatis veritatem apertissime tradiderunt. Quorum singula testimonia afferre, quoniam operis laboris esset, satis erit pauca notare, vel indicare potius ex quibus iudicium de ceteris facile fieri poterit. Primus igitur divus Ambrosius (a) fidem suam proferat, qui in libro de iis qui mysteriis initiantur, testatus est verum Christi corpus in hoc sacramento sumi, sicut verum ex virgine sumptum est, idque certissima fide tenendum esse, et alio loco docet, ante consecrationem panem ibi esse, post consecrationem autem carnem Christi. Accedat alter testis divus Chrysostomus (b) non minoris fidei et gravitatis, qui quidem cum multis aliis in locis hanc ipsam veritatem profiteretur et docet, tum vero praecepue homilia 60 de iis qui sacra mysteria impure sumunt : itemque homilia 41 et 45 in sanctum Joannem; inquit enim : Pareamus Deo neque contradicamus, licet vel cogitationibus vel oculis nostris videatur adversari quod dicitur ; ipsius enim sermo infallibilis est, sensus noster facile seducitur. His vero omni ex parte consentiunt, que divus Augustinus acerrimus catholice fidei propugnator semper docuit, atque in primis titulum psal. 53, expponens : scribit enim : Portare se in manibus suis, homini impossibile est, solique Christo convenire potest; ferebatur enim ille in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait : Hoc est corpus meum. Ac Cyrillus preterea, Ju-

(a) Lib. 4 de Sacr. c. 4 et De iis qui myster. init. c. 9.
Vide et de Consecr. dist. 2, plurib. in locis.—(b) S. Chrys.
ad popul. Antioch. homil. 60, 61.

stinus et Irenæus adeo aperte libro 4 in Joannem verum Domini carnem in hoc sacramento esse affirmat, ut ejus verba nullis possint fallaciebus et captiosis interpretationibus obscurari. Quod si pastores alia etiam Patrum testimonia requirant, facile erit sanctos Dionysium, Hilarium, Hieronymum, Damascenum addere, innumerableisque alios, quorum de hac re gravissimas sententias doctorum, ex piorum hominum industria et labore in unum congestas passim legimus. *Divus Augustinus in Psalm. 53. Conc. 1. a medio ad finem usque. Cyrill. lib. 4 in Joannem, c. 13 et 14, et lib. 10, c. 15. Just. Apolog. 2 sub finem ad Antoninum Pium. Iren. lib. 5 contra heres. Dionys. de Eccles. hierar. c. 3. Hilar. lib. 8 de Trinit. Hieronym. Epist. ad Damasum. Domasc. lib. 4 de Orthodox. fide, c. 14. Altera restat via, qua sanctæ Ecclesie iudicium in iis quæ ad finem pertinent investigare liceat, contrariae scilicet doctrinae et opinionis damnatio.*

Item adhuc confirmatur conciliorum decretis.

XVIII. At vero constat semper corporis Christi veritatem in sancto Eucharistio sacramento ita per universam Ecclesiam diffusam et disseminatam esse, et consentienti voluntate ab omnibus fidelibus receptam, ut cum ante quingentos annos Berengarius id negare ausus esset, ibique signum tantummodo esse, asseret, statim in Vercellensi concilio, quod Leonis IX auctoritate convocatum fuerat, omnium sententiis condemnatus ipse heresim suam anathemati addixerit ; qui postea cum ad eamdem impietatis insaniam redisset, tribus aliis conciliis, Turonensi et duobus Romanis, quorum alterum Nicolaus II, alterum Gregorius VIII, Pontifices max., convocarunt, damnatus est. Eam postea sententiam Innocen-

tius III, in concilio Lateranensi magno confirmavit, ac deinceps a Florentina et Tridentina synodis ejusdem veritatis fides apertius declarata ac stabilita est.

Idem probatur credendum rationibus.

XXIX. Hæc igitur si pastores diligenter expuerint (ut nihil dicamus de iis qui erroribus obcaecati, nihil magis quam veritatis lucem oderunt), et infirmos confirmare et piorum mentes summa quadam lætitia et voluptate afficere poterunt: cum presertim fidelibus dubitare non liceat, quin inter ceteros fidei articulos hujus etiam dogmatis fides comprehendatur.

Prima. — Nam cum Dei summam omnium rerum potestatem credunt et confidentur, credant etiam necesse est potestatem ei non defuisse maximi hujus operis efficiendi, quod in Eucharistia sacramenta admirarum et colimus.

Secunda. — Deinde cum credunt sanctam Ecclesiam catholicam, necessario sequitur ut simul credant eam esse, quam explicavimus, hujus sacramenti veritatem.

Quanta sit Ecclesiae dignitas ob eucharisticum sacramentum.

XXX. Sed nihil est profecto quod ad piorum jucunditatem et fructum addi possit, cum hujus altissimi sacramenti dignitatem contemplatur. Primum enim intelligunt, quanta sit evangelicae legis perfectio, cui datum est id re ipsa habere quod signis Mosaicæ legis tempore adumbratum fuerat. Quare divinitus dictum est a Dionysio (a) Ecclesiam nostram medium esse inter Synagogam et supremam Hierusalem, ac propterea utriusque partipem. Ac profecto satis mirari fideles nun-

quam poterunt sanctæ Ecclesiæ perfectionem ejus quæ gloriae altitudinem, cum inter eam et colestrem beatitudinem uns tantum gradus interesse videatur. Hoc enim nobiscum celestibus commune est, ut utrique Christum Deum et hominem praesentem habeamus: sed quo uno gradu ab eis distamus, illi præsentes heata visione perfruuntur: nos præsentem, et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum mysteriorum admirabilis integrum se occultantem, firma et constanti fide veneramur. Praeterea, fideles hoc sacramento Christi Salvatoris nostri perfectissimam charitatem experiuntur: ejus enim bonitatem maxime decuit, naturam, quam a nobis sumpserat, a nobis nunquam subtrahere: sed, quantum fieri posset, esse versarie nobiscum vellet, ut illud omni tempore vere et proprio dictum videretur: (a) Delicia mea esse cum filiis hominum.

Totus Christus ut Deus et homo in Eucharistia continetur.

XXXI. Jam vero hoc loco a pastoribus explicandum est, non solum verum Christi corpus, et quidquid ad veram corporis rationem pertinet, velut ossa et nervos, sed etiam totum Christum in hoc sacramento contineri. Docere autem oportet Christum nomen esse Dei hominis, unius scientie persona in qua divina et humana natura conjuncta sit: quare utramque substantiam, et quæ utriusque substantiae consequentia sunt, divinitatem et totam humanam naturam, quæ ex anima et omnibus corporis partibus et sanguine etiam constat complectitur: quæ omnia in sacramento esse credendum est. Nam cum in celo tota humanitas divinitati in una persona et hypostasi conjuncta sit, nefas est suspicari corpus, quod in

(a) De Eccl. hierar. c. 5, p. 1,

sacramento inest, ab eadem divinitate sejunctum esse. Vide de *Consecr. dist. 2, multis in locis.* Item *Ambr. de iis qui myst. init. c. 9. D. Th. p. 5, q. 76, art. 1.*

Quæcumque sunt Christi, non eodem modo esse incipiunt in Eucharistia.

XXXII. In quo tamen pastores animadvertant necesse est, non omnia eadem ratione, aut virtute in hoc sacramento contineri. Quedam enim sunt, quæ ex vi et efficientia consecrationis in sacramento esse dicimus: nam cum verba illa efficiant quidquid significant, id esse in sacramento ex vi sacramenti divinarum rerum scriptores appellavit quod verborum forma exprimitur; ita si continget, ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esset, id solum quod forma significaret, in sacramento esse, cetera non item esse docuerunt: quedam vero in sacramento continentur, quod illus rebus conjuncta sint, quæ forma exprimuntur: nam cum forma, quæ ad panem consecrandum adhibetur, corpus Domini significet, cum dicitur: Hoc est corpus meum, ipsum Christi Domini corpus ex vi sacramento in Eucharistia erit.

Per concomitantiam in Eucharistia quæ sint.

XXXIII. At quia corpori, sanguis, anima et divinitatis conjunguntur, hec quoque in sacramento erunt omnia, non quidem ex consecrationis virtute, sed ut ea quæ corpori conjuncta sunt. Atque hæc ex concomitantia in sacramento esse dicuntur: qua ratione totum Christum in sacramento esse perspicuum est: si enim duo aliqua inter se re ipsa conjungantur, ubi unum sit, ibi alterum esse necesse est. Sequitur itaque totum Christum usque adeo tam in panis quam in vini specie contineri: ut quemadmodum in panis spe-

cie non corpus modo, sed etiam sanguis et totus Christus vere inest; sic contra in vini specie non solum sanguis, sed corpus et totus Christus vere inest.

Cur separatim panis et vinum consecrentur.

XXXIV. Sed quanquam hæc ita se habere omnibus fidelibus certum et persuasissimum esse debet optimo tamen jure institutum est, ut separatim due consecrations fierent. Primo enim, ut passio Domini, in qua sanguis a corpore divisus est, magis referatur, cuius rei causa in consecratione sanguinem effusum esse meminimus. Deinde maxime consentaneum fuit, ut quoniam sacramento ad alendam animam utendum nobis erat, tanquam cibus et potus institueretur, ex quibus perfectum corporis alimentum constare perspicuum est.

Christus totus in qualibet particula.

XXXV. Neque vero illud prætermittendum, non solum in ultra specie, sed in quavis utriusque speciei particula totum Christum contineri: sic enim Augustinus (a) scriptum reliquit: Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minutur, sed integrum se prebet in singulis; atque id præterea ex Evangelistis facile colligi potest.

*Plures panis particulae non separatim
consecrandæ.*

XXXVI. Neque enim credendum est, singula panis frusta propriæ verborum forma a Domino consecrata esse, sed eadem simul omnem panem qui ad sacra mysteria conficienda atque Apostolis distribuenda satis futurus esset; id quod de ca-

(a) Aug. de *Consecr. dist. 2, c. Singulis.*

lice factum esse apparet, cum ipse dixit : (a) *Accipite et dividite inter vos*. Hactenus quae explicata sunt eo pertinent, ut ostendant pastores verum Christi corpus et sanguinem in Eucharistiae sacramento contineri.

Post consecrationem nec panis nec vini substantiam remanere probatur.

XXXVII. Nunc, quod alterum erat propositum, docebunt etiam panis et vini substantiam in sacramento post consecrationem non remanere. Hoc vero quamvis maximam admirationem merito haberet possit, tamen cum eo quod prius demonstratum est necessario conjungitur.

Primo, ratione.

Etenim si est verum Christi corpus sub panis et vini specie post consecrationem, omnino necesse est, cum ibi antea non esset, hoc vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipsum conversione factum esse. At vero fieri non posse constat ut corpus Christi in sacramento sit, quod ex uno in alium locum venerit: ita enim fieret ut a celi sedibus abasset, quoniam nihil moveret, nisi locum deserat, a quo moveatur. Creari autem corpus Christi minus credibile est, ac ne in cogitationem quidem cadere hoc potest: relinquatur ergo ut in sacramento sit corpus Domini, quod panis in ipsum convertatur. Quare ut nulla panis substantia remaneat necesse est.

Secundo, conciliorum decretis.

Hac ratione adducti Patres et maiores nostri in concilio Lateranensi (b) magno, et Florentino (c),

(a) Luc. 22, 17. — (b) Lateran. concil. c. 1. — (c) Flor. in Epist. Eugenii IV, data ad Arm. et a concilio approbata.

hujus articuli veritatem apertis decretis confirmarunt; a Tridentina (a) vero synodo explicatus ita definitum: Si quis dixerit in SS. Eucharistie sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, anathema sit.

Tertio, auctoritate Scripturarum.

Hac vero testimonio Scripturarum facile fuit colligere: primum, quod in eius sacramento institutione ipse Dominus dixit: (b) *Hoc est corpus meum*: vocis enim hoc ea vis est; ut omnem rei praesentis substantiam demonstret, quod si panis substantia remaneret, nullo modo vere dei videatur: Hoc est corpus meum. Deinde Christus Dominus apud Joannem: (c) *Panis, inquit, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, panem videlicet carnem suam vocans*. Ac paulo post subiecit: (d) *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et hiberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Et rursus: (e) *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Cum ergo tam claris et perspicuis verbis carnem suam panem et cibum verum sanguinem: item verum potum nominaverit satis videtur declarasse nullam in sacramento substantiam panis et vini remanere.

Quarto, Patrum auctoritate et consensu.

Atque hanc perpetuo sanctorum Patrum consentientem fuisse doctrinam, qui eos evolverit, facile intelligit. Divus quidem Ambrosius (f) ita scribit: Tu forte dicis: *Meus panis est usitatus: sed panis iste, panis est ante verba sacramento-*

(a) Trid. sess. 15, can. 4. — (b) Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 18. 1 Cor. 11, 24. — (c) John. 6, 52. — (d) John. 6, 54. — (e) John. 6, 56. — (f) Lib. 4 de Sacr. c. 3, et l. 3, c. 4.